

**1991-11-23 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Hoc Celebratum Templum’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***HOC CELEBRATUM TEMPLUM***

PAROECIALE TEMPLUM QUOD EST IN STUDIORUM UNIVERSITATE,  
QUAE VOCATUR POPULARI LOQUELA «NOTRE-DAME», DIOECESIS  
VAYNE CASTRENSIS-SOUTHBENDENSIS ET IPSUM SACRATISSIMO CORDI IESU  
DICATUM AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS ATTOLLITUR

Hoc celebratum templum iam a XVII saeculo scimus repetere memoriam, quod simul insigne esse catholicae operae testimonium haud ignoramus et missionariorum sollertiae. Quaedam ibidem ornamenta praeterea sunt quae fidelium fidei fervorem et eorum studiosam curam in templum hoc versam testificantur. Nos autem his spectatis rationibus, Venerabilis Fratris Ioannis Michaëlis D'Arcy Episcopi Vayne Castrensis-Southbendensis precibus occurrere voluimus, qui suum tum significans postulatum tum suorum fidelium, enixe efflagitavit ut paroecialis aedes Sacratissimo Cordi Iesu dicata, eademque in Universitate Studiorum sita, quam «University of Notre Dame» appellant, in Basilicarum Minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica usi auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae Minoris dignitate honestamus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus tempa pertinent. Servetur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX foras emissum. Quibuslibet minime obstantibus rebus.

Scimus demum ibidem campanarum gratissimum concentum identidem diffundi. Sonitus iste speramus fore ut non modo animum hominum molliat et laetetur, verum ad fidem et christiana proposita audientes revocet et eorum animum spiritualiter concitet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Novembris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*